

# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@infoboard.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## *Ecce Melissa vernalis!*



*... De institutione nostra quid diceret  
Erasmus, si adesset?*

☞ p. 2

*... Latinistae sumus, certe. Sed haec non  
est causa, cur numeros neglegamus.*

☞ p. 4

*... In Noruegicis universitatibus  
Latinitas viva colitur.*

☞ p. 6

*... Bibliotheca Regia Bruxellensis libros  
Latinos mox exhibebit.*

☞ p. 8

*... Ecce alchemia Vergiliana...*

☞ p. 10

*... Et argumenta litteraria.*

☞ p. 13

*... Non solum est Latine scribendum, sed  
etiam loquendum. Quando? Ubi?*


☞ p. 16

# ERASMIANA DE GRAMMATICIS

SCRIPSIT THOMAS PEKKANEN

Imago praeceptoris linguae Latinae, quam Erasmus Roterodamus in Laude Stultitiae delineavit, digna est, quae in memoriam revocetur,

cum problemata institutionis Latinae hodiernae tractantur:



editio anni 1515 apud J. Froben

c. 49: (Stultitia loquitur) «Sed ipsa stultissima sim planeque digna, quam multis cachinnis rideat Democritus, si pergam popularium stultitiam et insaniarum formas enumerare. Ad eos accingar, qui sapientiae speciem inter mortales tenent, et aureum illum ramum, ut aiunt, aucupantur.

Inter quos **Grammatici** primas tenent, genus hominum profecto, quo nihil calamitosius, nihil afflictius, nihil aequè Diis invisum foret, nisi ego miserrimae professionis incommoda dulci quodam insaniae genere mitigarem.

Neque enim πέντε κατάραις, id est quinque tantum diris obnoxii sunt isti... verum sexcentis, ut qui semper famelici sordidique in ludis illis suis - in ludis dixi, imo in φροντιστηρίοις vel pistrinis potius ac carnificinis - inter puerorum greges consenescant laboribus, obsurdescant clamoribus, foetore paedoreque contabescant; tamen meo beneficio fit, ut sibi primi mortalium esse videantur.

Adeo sibi placent, dum pavidam turbam minaci vultu voceque territant, dum ferulis, virgis, lorisque conscindunt miseros dumque modis omnibus suo arbitrato saeviunt, asinum illum Cumanum

imitantes. Interim sordes illae merae munditiae videntur, paedor amaricinum olet, miserrima illa servitus regnum esse putatur, adeo ut tyrannidem suam nolint cum Phalaridis aut Dionysii imperio commutare.

Sed longe etiam feliciores sunt nova quadam doctrinae persuasionem. Siquidem cum mera deliramenta pueris inculcent, tamen, Dii boni, quem non illi Palaemonem, quem non Donatum prae sese contemnunt? Idque nescio quibus praestigiis mire efficiunt, ut stultis materculis et idiotis patribus tales videantur, quales ipsi se faciunt.

Iam adde et hoc voluptatis genus, quoties istorum aliquis Anchisae matrem aut voculam vulgo incognitam in putri quapiam charta deprehenderit, puta bubsequam, bovinatorem aut manticulatorem, aut si quis vetusti saxi fragmentum, mutilis notatum litteris, alicubi effoderit: O Iupiter, quae tum exsultatio, qui triumphus, quae encomia, perinde quasi vel Africam devicerint vel Babylonas ceperint!....

Grammatici, de quibus Erasmus Stultitiam talia loquentem inducit, haud dubie sunt linguarum classicarum praeceptores vel professores, qui hodie philologi classici appellantur, quamvis multa, praesertim exteriora, post tempora Erasmiana mutata sint. Magistri hodie vix sunt sescentis diris obnoxii, famelici sordidique in ludis suis, neque ludi eorum, ferulis sublatis et condicionibus hygienicis in melius mutatis, haberi possunt carnificinae, ubi praeceptores «foetore paedoreque contabescant».

At multa ab Erasmo enumerata in hodiernis philologis interdum agnoscimus: sibi placent, felicitatem et voluptatem ex doctrinae suae persuasione percipiunt, nugas a vita hodierna alienas sive, ut verbis ipsius Erasmi rem repetam, «mera deliramenta» pueris inculcant. Cum studia Latina ubique fere voluntaria sint, non est mirandum, si discipuli exemplar magistri ab Erasmo delineati prorsus vitant aut, si in classes eius inciderint, brevi effugiunt. Iuventuti hodiernae iudicium non deest neque parentes sunt idiotae.

\*

\* \*

Lingua Latina plus duo millennia homines attrahere pergit, quamvis gratia, qua valet, singulis saeculis decenniisque velut fluctus undarum aut accessus et recessus maris alternatim descendat et ascendat. In Universitate Helsinkiensi decennio huius saeculi septimo singulis annis circiter quingenti discipuli studia Latina (n.b. voluntaria!) exercebant. Examinibus variorum graduum a centenis ad centenos quingenos studentes quotannis probabantur. Rem pro certo scio, quippe qui ipse registrum studentium tum curaverim. Mutato professore ordinario, eodem decennio exeunte studentes tam frequentes studia Latina deseruerunt, ut ex tanta turba rarissimi relinquerentur.

Si qui praeceptor Latinus studentes non invenit aut quos iam habuit amittit, oportet primum sicut filius prodigus in se revertatur (cf. Luc. 15:18) et culpam quaerat in sua institutione, methodis docendi et materia quam invitis inculcare frustra conatur. Quadraginta fere annos institutionem Latinam ex propinquo secutus contendere ausim unumquemque magistrorum tot habere et accipere discipulos, quot arte docendi et suâ ipsius personâ meruit. Saepius vidi in lyceo quopiam studiis Latinis florenti classes Latinas vacuefieri, postquam bonus magister emeritus abiit neque successorem linguae Latinae satis peritum habuit.

In linguis modernis, ut Anglica, Germanica

aliisque peregrinis, quae in scholis docentur, methodi paedagogicae et libri scholastici meliores in singulos annos fiunt. Discipuli inde a primis lectionibus ea lingua scribunt et loquuntur, quae docetur. Pro exemplo sit filius meus sedecim annorum, qui semestri autumnali 1995 studia linguae Germanicae suscepit. In primo examine, post studia unius mensis effecto, quaestiones ad quas ei et condiscipulis Germanice erat respondendum, iam erant difficiliores quam quas linguae Latinae magistri, in methodis obsoletis inhaerentes, vix umquam discipulis suis ponere possint. Methodus autem viva tam efficax est in linguis docendis, ut praeceptores eam adhibentes vel paucissimis septimanis uberrimos studiorum fructus percipiant. Neque refert, quae lingua ita doceatur.

In nostris gymnasiis lyceisque magistri variarum linguarum de eisdem discipulis inter se certamen habent, quia omnes ex magna copia linguae in programmata scholastico locum habere non possunt. Classes Latinae aliarumque linguarum non obligatarum conduntur tantum, si certus numerus discipulorum in eas se venturum esse in antecessum nuntiavit.

\*

\* \*

Praeceptor Latinus, qui propter pigritiam, ut plerumque fit, usum vivum linguae Latinae discere, exercere et in institutione sua adhibere neglexit, more magistri Petroniani (Sat. 46,5) sibi placentis plus docet quam scit neque auctoritatem apud discipulos hodiernos, si quos casu invenit, acquirere aut retinere potest. «Doctae famae detrimentum», cuius mentionem Iosephus IJsewijn et Theodoricus Sacré faciunt (Acta selecta Octavi Conventus Academiae Latinitati Fovendae, Romae MCMXCV, p. 826), non fit ex scientia et facilitate Latine loquendi sed ex ignorantia, pigritia, stultitia, qua nimis multi, qui philologi classici esse affectant, grammaticos ab Erasmo descriptos imitantur, ea quidem differentia, ut Erasmiani isti adhuc Latine loqui sciebant. ☹

# VETERUM LITTERAE RATIONALES

## CUR ET QUANDO IN MODERNAS MUTATAE SINT (II)

EXPLICAT GAIUS LICOPPE

Indi septentrionales primi sunt, qui tres condiciones ad modernum numerandi modum necessarias collegerint. Exstat enim tractatus cosmologiae c.n. Lokavibhaga, ad usum religionis Jain Sanscritice conscriptus, cuius editionis tempus deduci potest ab observatione astronomica relata, quae congruit cum die 28 m. Augusti a. 458 p.C.n.

Ibi primum simul adhibentur signa numeralia Sanscritica ab uno ad novem et numeratio decimalis per positionem et perfecta fictio zeri. Necessario haec maximi momenti inventio anterior est huius tractatus editione. Docti Indianistae putant eam factam esse tempore stirpis Guptanae, quod habetur ut aetas aurea vel classica Indiae septentrionalis (fastigium IV et V saec. p.C.n.).

Cur illo ipso tempore Indi docti novum numerandi modum conceperint, certo scire nequimus. Sunt tamen nonnullae condiciones singulares, quae eos videntur adiuvisse. Imprimis tunc temporis orta est quaedam ingentium numerorum mania, cuius causa erat religiosa; disputabatur enim de aetate Brahmae, de aeternitate, de amplitudine cosmi. Dies Brahmae e.g. durat 4.320.000.000 annos atque eius vita 311.040.000.000.000 annos. Inveniuntur in documentis illius temporis numeri usque ad  $10^{140}$  quin etiam in libro c.t. Latitavistara usque  $10^{421}$ !

Itaque docti Indi maturius quam Europaei valuerunt numerationem usque ad infinitum ducere. Non solum singillatim nominabant monades ab uno ad novem (Sanscritice: eka, dvi, tri, chatur, pancha, shat, sapta, ashta, nava), sed etiam continuas denas potentias.

Longum tamen molestumque erat tantos numeros verbis exprimere. Ad  $10^{421}$  scribendum, quadraginta viginti unum nomina numeralia erant necessaria. Cum scriberent in palmarum foliis, quorum preparatio erat sumptuosissima, facilius intellegitur cur exempli gratia loco numerorum, qui sunt  $2 \times 1000 + 4 \times 100 + 4 \times 10 + 5$  litteris scriptorum, adducti sint ad idem exprimendum sifris rite ordinatis, i.e. 2445.

In numeratione per positionem quoddam signum necessarium est, quod ponatur locis ubi desunt monades. Vocabulum Sanscriticum *shūnya*, quo significatur vacuum, fingitur puncto



*Gerbertus Aureliacensis mathematicus, quamquam etiam fuit Papa, dicebatur commercium habere cum diabolo.*

vel circulo qui factus est signum zeri. Zerum sine mora factum est verus numerus significans nihil, i.e. infiniti contrarium. Leguntur in quodam textu Sanscritico anni 628 p.C.n. haec: «Si cuidam numero additur vel ex eo detrahitur zerum, numerus non mutatur. Numerus per zerum multiplicatus fit zerum. Debitum (i.e. numerus negativus) e quo detrahitur zerum, manet debitum. Bonum (i.e. numerus positivus) e quo detrahitur zerum, manet bonum. Debitum e zero detractum est bonum; bonum autem e zero detractum est debitum.»

Astronomus Bhaskara I septimo saeculo, eodemque fere tempore quo Isidorus Hispalensis ultimas litteras Antiquitatis Latinae conscribit, numeros iam eodem modo ac discipuli nostrarum scholarum scribit et tractat. Tunc etiam oritur algebra.

Anno 662 Syrius episcopus Sebokt aliquid refert de Indicis numerandi methodis, sed hoc non



sufficit ad has methodos in Europam introducendas. Imminet enim Arabum invasio atque Mahometanorum imperium, quo Europa ab India diutissime secludetur.

Indicae numerandi methodi imprimis in orientem diffusae sunt una cum Buddhismo. In Cambosia, ubi tunc florebat regnum Khmerorum, inventa est inscriptio cuius tempus, i.e. annus 683 nostrae numerationis, notatur novem sifris et zero origine Indicis, secundum principium positionis dispositis. Anno 683 in Malaesia, anno 718 in Sinis, anno 732 in insula Iava incisae sunt primae inscriptiones ubi Indica numerandi methodus adhibetur.

Exeunte VIII saeculo numeratio decimalis per positionem et zerum introducuntur in orbem Islamiticum, qui ad occidentem usque in Hispaniam tunc patet.

Nono saeculo sifrae *ghobar* vocatae apparent apud Arabes, qui Africam septentrionalem Hispaniamque incolunt. Quibus e sifris orta est forma Europaeorum sifrarum mediaevalium, quibus typorum inventio aspectum usque ad nostra tempora constantem dedit.

Ab anno 967 hae sifrae ab Arabibus traditae adhiberi coeptae sunt in Hispaniae parte Christiana. Gerbertus Aureliacensis, qui postea Papa Silvester II factus est, inter annos 967 et 972 iter in Hispaniam fecit, unde sifras, quae dicebantur Arabicae, Romam et in Francogalliam rettulit. Hoc non fecit sine damno. Nam fama tunc ferebat eum, composito habitu et vestitu Mahometano, in Hispaniae partem Arabibus subditam peregrinatum iisse seque cum Mahometanis commisisse, qui sibi sifrarum arcana revelarent; quare habitus est ut maleficus et alchemista. Diu mansit haec suspicatio: anno enim 1643 iussu Curiae Romanae sepulcrum Sylvestri II apertum est ad inspiciendum utrum ibi laterent diaboli necne!

Allatis sifris «Arabicis» in Christianam Europam occidentalem, earum usus lentissime diffusus est. Nam illo tempore incohatum est vehemens certamen inter «abacistas» (qui ad computandum utebantur abaco) et «algoristas» (qui scriptis sifris computabant). Conspiciatis imaginem primae paginae, quae est XVI saeculi: in medio videmus personam Arithmeticae, aversis ab abacista oculis, algoristam magna cum spe intuentem. Eius spes non est decepta. Tanta enim est efficacitas huius computandi systematis, ut universale factum sit. ☞

(sequetur)

### GERBERTUS AURELIACENSIS, PAPA ANNI MILLESIMI

Vix quicquam notum est de Gerberti origine. Humili stirpe generatus, natus est inter annos 940 et 945, sed historici nesciunt ubi. Puer paucorum annorum traditus est monachis magni monasterii Sancti Geraldii (v. St Géraud) in oppido Aureliaco (v. Aurillac), quod situm est in montibus Arvernorum fere in media Gallia.

Anno 967 huius monasterii abbas petivit a Comite Barcinonensi nomine Borrell ut Gerbertum secum Barcinonem duceret, ubi doceretur a magistris Cataloniensibus, qui iam receperant scientiam ab Arabibus traditam. Ibi Gerbertus studuit quadrivio atque doctissimus factus est arithmetica, geometria, astronomia et musica. Ibi etiam invenit sifras modumque computandi ab Arabibus modo traditum.

Anno 970 Gerbertus una cum Comite Borrell Romam petivit, ubi Papa Iohannes XIII et imperator Otto I eius scientiam valde mirantes eum retinere voluerunt. Gerbertus vero, cum cuperet de logica plura addiscere, maluit Romam relinquere Durocortorumque Remorum (v. Reims) petere, ubi archiepiscopus Adalbero eum libenter accepit magistrumque scholasticum instituit. Intra breve tempus optima facta est eius institutionis fama.

Dedecet hic Gerberti vitam fuse narrare. Satis est dicere eum magnas partes egisse in certaminibus politicis sui temporis. Anno 996 Romae convenit Ottonem III, qui Papam adierat ad imperatoris coronam accipiendam. Factus est secretarius amicusque Ottonis, qui ab eo doceri cupiebat. Anno 999 Gerbertus ab Ottone factus est Papa Silvester II vocatus. Ergo sedem Petri occupavit anno millesimo p.C.n. Paulo post, anno 1003, vita functus est atque in ecclesia cathedrali Sancti Iohannis Laterani sepultus.

Gerbertus multa opera mathematica scripsit et uberrimum commercium epistulare habuit cum multis aequalibus sive doctis sive optimatibus. Eius lingua est Latina. Unam epistolam infra exhibemus, qua videbitis Latinitatem decimi saeculi nobis non esse extraneam.

#### *Ad Adalberonem Remorum archiepiscopum*

*Mantuae quid egerim super negotiis vestris, praesens melius explicabo verbis, quam absens scriptis. Claves librorum quas mitterem ignoravi propter communem usum similium serarum. Istoriam Julii Caesaris a domno Azone abbate Dervensi ad rescribendum nobis adquirite, ut quos penes vos habemus habeatis, et quos post repperimus speretis, id est VIII volumina Boetii de astrologia, praeclarissima quoque figurarum geometriae, aliaque non minus admiranda. Fortunam nostram sola vestra conturbat absentia noctesque diesque.*

Gerbert d'Aurillac, Correspondance, Parisiis, ed. Les Belles Lettres, coll. Les Classiques de l'Histoire de France au Moyen-Age, 1993, p. 16.

# DE ITINERE TROMSOEANO

REFERT THOMAS PEKKANEN



Diebus 13-19.11.1995 invitante profestrice Sunniva des Bouvrie mihi potestas data est urbem et universitatem studiorum Tromsoeanam obeundi, ut de Latinitate viva scholas haberem. Quamquam anno 1966 autoraeda vectus usque in sinum Skibotn Norvegiae septentrionalis veneram, in urbe Tromsoea numquam antea fueram. Frater meus, qui ibi saepius versatus erat, mihi urbem et regionem multis de causis laudaverat, imprimis autem, quod regio amoenissima et fercula piscium in cauponis optima essent. Itaque libenter iter suscepi neque sex diebus, quos Tromsoeae degi, spes me fefellit.

Tromsoea insula et urbs eiusdem nominis ex urbe Osloa mille ducenta, a circulo Arctico trecenta quinquaginta chiliometra in septentrionem versus distant, si recta linea iter in charta geographica metiaris. In occidente cum insula Balenorum (Kvaløey), in oriente cum continente ponte iuncta est. Sedem habet episcopalem, inter musea excellit museum ethnographicum. Portus eius piscatu est celeberrimus. Iam saeculo XII ecclesiam Tromsoeae fuisse constat.

Hiemali tempore commeatus inter Tromsoeam et Finnam est difficilis, nam si vehiculo privato per montes nive et glacie contactos ex Finna septentrionali urbem petere non audeas, tantum via aerea, qua per circuitum iter facias, tibi restat. Helsinki primum una hora cum dimidio Osloam est volandum, deinde mutato aeroplano duas fere horas Tromsoeam nulla statione intermissa iter pergendum, sicut feci.

In aeriportu Osloensi collegam Norvegiensem Vibecam Roggen conveni, quacum hilariter Latine

colloquentes in aeriportum Tromsoeanum vecti sumus. Sunniva nostra nos ex aeroplano egressos recepit et sarcinis in deversorio depositis in Universitatem Tromsoeanam statim duxit, ubi iam postmeridianis horis mihi primae scholae Latinae erant suscipiendae.

Universitas Tromsoeana in monte iacet, quo viginti fere minutis autoraeda longa ex urbe in litore sita commode perveharis. Postquam parlamentum sive Magnum Concilium Norvegiae (Stortinget) anno 1968 de universitate Tromsoeae condenda consilium cepit, institutio ordinaria autumnum 1972 initium habuit. Anno 1994 numerus studentium erat circiter 7.000. Universitas Tromsoeana maxime septentrionalis est totius orbis et regionibus Arcticis investigandis inter omnes excellit.


Constat ex novem institutis, quae sunt Linguarum et Litterarum (ISL), Scientiae socialis (ISV), Iurisprudentiae (IRV), Biologiae et Geologiae (IBG), Mathematicae (IMR), Biologiae medicinalis (IMB), Medicinae clinicae (IKM), Medicinae socialis (ISM), Museologiae (IMV); praeterea ad eam pertinent Departimentum Paedagogiae practicae (APPU), Schola Norvegiae superior Piscationis (NFH) et Bibliotheca universitaria (UB).

In instituto ISL docentur culturae antiquae, lingua Anglica, Finnica, Francogallica, Germanica, Graeca, Latina, Norvegica, Russica, Samica (Lapponica), porro linguistica et litteratura generalis. Novae materiae hoc anno in institutum acceptae sunt ars documentationis (Dokumentasjonsvitenskap) et studium scriptorum (Forfatterstudium). Examen praeliminare de philologia et phonetica omnibus est subeundum, antequam studia linguarum fundamentalia suscipere possunt.

Studia Graeca et Latina unius aut duorum semestrium sunt, id est decem aut viginti hebdomadam. Singulis annis 15-20 novi discipuli in studia Latina incumbunt, quorum plerique (vel omnes) antea Latine non didicerunt, nam in Norvegia septentrionali nulla adhuc schola institutionem Latinam praebet. Proximus Sunnivae collega Latinus nongenta chiliometra ab illa distat. Nihilo minus studentes Tromsoeani, institutione viva ab initio assuefacti, satis bene Latinum sermonem intellegebant, quamquam, ut plerumque fit, ad sponte sua colloquendum primo



timidiores erant. Participes colloquiorum Latinorum, quae Sunniva et Vibeca strenue adiuvantibus moderabamur, erant Gry B. Moerk, Vebjoern Kirkesaether, Martine Langgaard, Bard Bertelsen, Ellen I. Vestgoete, Lise Jenssen Tveit, Marit Milch, Per Aspaas, Per Storas, Carola Johansen. Qui omnes in urbe Tromsoea aut regionibus haud procul circumiacentibus domicilium habent.



Symbolum Instituti linguarum et litterarum a Sunniva des Bouwrie delineatum

In actis periodicis Universitatis Tromsoeanae (Tromsoeflaket, Avis for Universitetet i Tromsoe n. 20, 23.11.1995 p. 5) Kjellaug Lindvag de condicionibus linguae Latinae in Norvegia haec fere narrat: Gymnasiis Norvegicis renovatis institutionem Latinam ex scholis disparuisse, quo fieret, ut annis 1973-1990 in Universitate Osloensi prorsus nemo Latinam linguam materiam studiorum principalem haberet.

Postea ibidem duos studentes studia Latina principalia (hovedfagstudiet) perfecisse, ex quibus una esset Vibeca Roggen. Hodie duos alios eadem studia esse perfecturos. Decennio 1980-1990 singulis annis quinos fere studentes studia Latina unius semestris Osloae participavisse. Autumnali semestri 1995 numerum eorundem fuisse quadraginta septem.

Ex numeris supra datis, licet non sint maximi, satis apparet Latinam linguam animos studentium magis magisque in singulos annos attrahere. Si scholas Norvegicas aliasque actuositates respexeris, signa positiva ubique videas. Plures scholae quam antea occasionem discipulis praebent Latine discendi et novae studiorum materiae praeparantur. Cursus Latinus Raudiophonicus viginti quattuor programmaturum, nomine Lingua Latina Omnibus, mense Novembri 1995 incohatus est, alius cursus per epistulas efficiendus autumnno 1996 instituetur. Proximo mense Martio, diebus 23-24, Osloae seminarium nomine «Latinitas viva in Norvegia II» fiet, in quod Vibeca Roggen magistros linguae Latinae convocavit, quorum numerum hodie 32 in Norvegia esse constat. In programmate erunt colloquia Latina (nobis moderantibus), demonstrationes novorum librorum scholasticorum et methodorum didacticarum, disputationes de programmatis studiorum multaue alia haud iniucunda, ut

expertus dicere ausim.

Singulis diebus, quos Tromsoeae fui, horas vespertinas cum Sunniva et Vibeca Latine colloquentes egimus. Neque occasio defuit in montibus domui Sunnivae propinquis nartandi, nam iam plurimae nives in Norvegiam septentrionalem ceciderant. Quamquam saepius in domo Sunnivae, unde mirabilis in montes et maris sinum Tromsoeanum prospectus patet, delicias Norvegicas cenavimus, urbis cauponas visere non negleximus, in quibus fercula variorum Maris Glacialis piscium proponebantur. Etiam caro phocina vel cetacea, quam quidem non gustavimus, in promptu erat.

Die Dominico, cum tempus iam erat abeundi, Sunniva me et Vibecam in aeriportum comitata est. Valedicentibus nobis commendavit, ut sedem in dextra parte aeroplani sumeremus, unde prospectus optimus esset. Cum aer esset serenissimus, inter volatum totam oram Norvegiae occidentalem cum suis insulis admirari potuimus. Prasertim in septentrione haec ora longis et tortuosis sinibus ita frangitur, ut ne hodie quidem facile dicas, ubi continens terra incipiat. Itaque non est mirum, quod antiquissimis temporibus *Halogia*, *Hologaland*, *Halogalandi*, provincia (Medio Aevo) Norvegiae maxime septentrionalis, insulae (non continens) appellabantur<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Iordanes, *Getica* 19: «In Scandza vero insula, unde nobis sermo est, licet multae et diversae maneant nationes, septem tamen eorum nomina meminit Ptolemaeus. Apium ibi turba mellifica ob nimium frigore nusquam reperitur. In cuius parte arctoa gens Adogit consistit, quae fertur in aestate media quadraginta diebus et noctibus luces habere continuas, itemque brumali tempore eodem dierum noctiumque numero luce clara nescire. (20) Ita alternato merore cum gaudio beneficio aliis damnoque impar est. Et hoc quare? Quia prolixioribus diebus solem ad orientem per axis marginem vident redeuntem, brevioribus vero non sic conspicitur apud illos, sed aliter, quia austrinis signis percurrit, et quod nobis videtur sol ab imo surgere, illos per terrae marginem dicitur circuire. (21) Aliae vero ibi sunt gentes Screruffennae, quae frumentorum non queritant victum, sed carnibus ferarum atque ovis avium vivunt; ubi tanta paludibus fetura ponitur, ut et augmentum prestent generi et satietatem ad cupiam genti.»

Th. Mommsen, *Iordanes*, *Index locorum* s.v. Adogit gens: «Nomen corruptum, intelligendi sunt Alogii, Halogii, Haleygir, incolae Halogalandi, regionis Norvegiae maxime borealis hodie Nordland dictae utraque polarem circulum porrectae.» Apud Ptolemaeum (2, 11, 16) ad eandem regionem pertinent insulae Alokiai. Etiam apud Adamum Bremensem (4, 38) illa provincia insula appellatur. Theodoricus Monachus (saec. XII exeunte) scribit Hologaland, auctor anonymus *Historiae Norvegiae* (saec. XII exeunte) Halogia, Halogenses.

# INEDITA EMBLEMATA

## BRUXELLIS OLIM AFFIXA (SAEC. XVII)

EDIDIT THEODORICUS SACRÉ

Bruxellis in Bibliotheca Regia et peregrinis in bibliothecis duabus asservatur ingens quaedam carminum collectio, lemmatis et imaginibus interdum elegantissimis ornatorum; quae collectio fundata est Bruxellis in Collegio Societatis Jesu. Rhetoribus enim et poetis, sive alumni senioribus, mos erat ut statis intervallis carmina pia vel moralia picturis subiuncta publice exhiberent in collegio, quibus ex emblematis urbi et orbi innotesceret quantum arte, doctrina, acumine, Latinitate valerent ii adolescentes, quos erudiendos suscepissent praeceptores e Societate Jesu. Emblemata enim (quod genus poesis priore saeculi XVI parte excogitasse videtur Andreas Alciatus) plerumque constabant e picturis et epigrammatis invicem illustrantibus et eis tam ingeniose coniunctis, ut ad aenigmata proxime accederent. Affixionibus autem factis, picturae minorem in formam redactae et carmina ornate exscripta in volumina includebantur memorabilia, ut alumni posteriores haberent quod sequerentur, rectores vero collegii quod hospitibus amplissimis Bruxellas invisentibus in admirationem operae suae exhiberent. Quorum voluminum magna etiam nunc adservatur copia Bruxellis, quae decursu temporis in Bibliothecam Regiam confluerunt. Primum autem volumen continet emblemata anno 1630 proposita, novissimum ea quae anno 1685 sunt conscripta et ostentata. Libri ei fere cuncti post tria saecula elapsa aestivo tempore huiusce anni in eadem bibliotheca regia denuo exhibebuntur; qua data occasione et in publicum proponetur catalogus doctus et viri emblematum peritissimi, conventus internationalis causa Lovanii mense Augusto consessuri, Bruxellas divertent, qui in bibliotheca orationes habeant<sup>1</sup>.

Nos vero emblematum gustum dare volumus (nulli enim dubitavimus quin omnium in se oculos conversurae essent lautae eae imagines callidave ea epigrammata); quare emblematicae artis specimina pauca selegimus et edidimus, etiamsi imagines ad tempus erant omittendae.

### I. EMBLEMATA DE VERITATE AFFIXA A RHETORIBUS GYMNASII SOCIETATIS JESU BRUXELLIS A• 1643

1. Antonius Martinez, Veritas politica: *Latet intus* (cod. 20302, ff. 34v-35v)  
[*Emblemate hoc hendecasyllabis exarato*

*invectivaliter carpsit alumnus Machiavellum. Pictura autem exhibuit equum Troianum. In epigrammate scribendo Martinius iuncturas versiculosve Catullianos hic illic est mutuatus.]*

Huc, Musa, hendecasyllabos Catulli  
tot quot edidit advocemus omnes  
et linguam Archilochi iecurque Codri  
et quo plus odio Vatiniano<sup>2</sup>  
Hipponax nocuit suis poeta.  
His munus Danaûm, scelus fidemque  
his larvam pietatis exsecremur.  
Illo quae latitare equo putatis?  
Intus Graia phalanx, faces dolique,  
intus dos Helenae, ruina Troiae,  
intus mors Priami feroxque Atrides  
et duces Sthenelus, Thoas, Ulysses  
et quot perdidit Ilium latebat.  
Fallimur? Fabricator ipse Epeus,  
tot fraudum simulator, in latebris  
sub veri specie abditus latebat.

Equo hoc Machiavellus extimendum  
dogma principibus, caput malorum,  
classicum populi furentis atque  
tristem seditionis officinam  
spargendo Politiae atrox venenum  
prompsit haeresin impius per orbem.  
Pro vir perfide faexque Christiano  
eiurata gregi luesque nata  
sentina e barathri et furentis Orci,  
qua nec taetrius ullus aut Gigantum  
pestilentior anguibus lacertos  
armatus superas poposcit arces!  
Nunc si Laocoon Capysque vivant  
aut Cassandra nova fide resurgat,  
te certum exitium augurentur orbis.

### II. EMBLEMATA DE CONSCIENTIA ET HAERESI BRUXELLIS AFFIXA BRUXELLIS A• 1641

1. Carolus Le Mesureur, Conscientiae vulnera non curantur nisi peccata eiciantur: *Frustra nisi tollitur ante causa mali* (cod. 20330 I, ff. 5v-6r)  
[*Epigrammati distichis elegiacis expolito praemissa est imago pueri sagittam cruento e vulnere extrahentis.]*

Excute vulneribus fixas, puer, ante sagittas:  
sit tibi prima nocens tollere cura malum.  
Postmodo sume manu medicantes corpora succos,





utque brevi coeant saucia membra tege.  
Spes tibi, ni facias, non panditur ulla salutis:  
pulsam mali nisi sit causa, medela parit.  
Non nisi sublatis curantur corpora telis;  
mens, nisi causa mali tollitur, aegra manet.

2. Franciscus de Rougemont Traiectensis ad Mosam, Conscientiae ulcera sanantur dum aperiuntur: *Aperire medela est* (cod. 20330 I, ff. 11v-12v)

[*Hoc emblemata, eadem fere pictura munitum, distichis elegiacis scripsit Franciscus de Rougemont alumnus, qui eodem anno 1641 Societatem Jesu ingressus, una cum Ferdinando Verbiest apud Seres postea inclaruit. Egregii hi versus facilitate fluunt Ovidiana, iuncturis nonnullis desumptis e Remediis amoris aliisque poematis Ovidianis.*]

[12r] Qui solam medicis vitae spem ponit in herbis  
et timet armatas ense vel igne manus,  
fallitur et vitam metuit dum perdere perdit,  
et premitur veris dum mala falsa timet.

Omnia non omnes curant medicamina morbos  
nec quodvis facili tollitur arte malum:

nunc opus est succis, nunc est suis ignibus usus,  
est quoque quae ferrum poscat et arma lues.

Non semper solis olim Podalirius herbis,  
saepe sed et flammis usus et igne fuit.

Corpora quis ferro secuisse Machaona nescit,  
cum nihil auxilii succus et herba darent?

Sed tamen in primis, quamvis ad cetera prosit,  
ulcera prima salus ense secare fuit.

[12v] Eheu quam variis mens est obnoxia morbis,  
heu quam quae crucient ulcera multa tegit!

Non tamen hic opus est formas variare medendi:  
una tot et tantis est medicina malis.

Corpora sanantur varias aegrota per artes;  
sola animi morbos est aperire salus.

III. EMBLEMATA MORALIA (DE SUPERBIA ET HUMILITATE)  
BRUXELLIS AFFIXA A• 1662 VEL 1663

1. Jacobus van Horn, Superbus ob syrma: Insano syrmate surgit. Persius<sup>3</sup> (cod. 20332, ff. 17v-18r)  
[*Pictura exhibuit rhombum, id est draconem ventorum ope volantem et filis quibusdam e terra gubernatum.*]

Quod rhombus surgat ventis agitatus ad astra  
celsaque quod superet culmina, syrma facit.  
Saepe (quis hoc credat?) vestis tibi causa tumoris,  
splendida quae lato syrmate verrit humum.

IV. EMBLEMATICI FLORES E VITA DEIPARAE DECERPTI  
VERSIBUS ET SYMBOLIS CORONARIIS INTEXTI AB  
RHETORIBUS ET POETIS COLLEGII BRUXELLENSIS  
M.DC.XXXIX

1. Franciscus Henricus Tservranx, Praesentationi  
Beatae Mariae Virginis sacrum: *Custodia servat*<sup>4</sup>

(cod. 20301, ff. 22r-23r)

[*Addita est pictura quae arbusculas exhibuit tenellas a frigore et ventis quodammodo protectas. Carmen dimetris iambicis catalecticis est exaratum.*]

Huc, huc ades, colone:  
iam saeva bruma venit,

frondosa saltuumque,  
aprica montiumque,

umbrosa valliumque,  
muscosa fontiumque

vastare bruma venit!

Huc, huc ades, colone,  
venit: cave, colone!

Quod floridum est reconde,

primas reconde stirpes,  
primis magis cavendum:

primis cavetur annis,  
primis cavet colonus,

primis Maria cavet.

2. Cornelius vander Belen, Virgini dolorosae sacrum: *Quid nos separabit?* (cod. 20301, ff. 96r-97r)

[*Distichis his elegiacis praemissa est pictura, qua ostendebantur frutices fruticibus impediti et impliciti.*]

Quae matrem infami fixo crucis arbore nato,  
ultima dum patitur, cogit adesse fides?

Cogit amor, maternus amor, natoque parentem  
quam bene vitem ulmo, tam bene iungit amor.

3. Iacobus Steenhuyse, Purificationi Beatae Mariae Virginis sacrum: *Fragrantior inde* (cod. 20301, ff. 68r-69r)

[*Epigramma hoc versibus Asclepiadeis est conscriptum. Rosis autem odorem crescere ferebatur iuxta allia cepasve satis (cfr. e.g. Plutarchus, De capienda ex inimicis utilitate 92B); itaque pictura hortulum variis consitum floribus proposuit.*]

Virgo sidereis purior ignibus,  
sic mixtim reliquis iuncta puerperis  
fragrat virginei gratia pectoris,  
cepis mixta velut cum rosa foetidis  
contra nescio quid spirat amabile,  
certe non alias suaveolentior. ☪

#### ADNOTATIONES

<sup>1</sup> Quo de conventu qui plura scire cupiat, adeat Prof. Carolum Porteman, K.U.Leuven, Dept. Literatuur, Blijde Inkomststraat 21, B-3000 Leuven.

<sup>2</sup> Cfr. Catull. 14,3.

<sup>3</sup> Re autem vero lemma sumptum esse videtur e Martialis epigrammate (4,49,8): «Musa nec insano syrmate nostra tumet».

<sup>4</sup> Cfr. Ovid. *met.* 8,69.

# CHROMIS ET MNASYLUS IN ANTRO... (II)

SCRIPSIT EMMANUEL D'HOOGHVORST, IN LATINUM VERTIT STEPHANUS FEYE

*Hic continuatur Vergilii interpretatio alchemistica, quae in praeterito fasciculo incohata est. Agitur, ut*

*certe recordamini, de sexto carmine Bucolico, in quo Chromis et Mnasyllus Silenum conveniunt...*

\*  
\* \*

*adgressi (nam saepe senex spe carminis ambo luserat) iniciunt ipsis ex vincula sertis*

v. 18-19

*pulchra naturali luce illuminatur, ante oculos eius dilabuntur atque evanescent nubes omnes, ipse omnes difficultates pede calcat, omnia ei clara, praesentia et manifesta fiunt...<sup>1</sup>*

Id est agens quoque quo utuntur Philosophi:

*«Is frustra laborat qui operi manum dat antequam Naturam noverit.»<sup>2</sup>*

Sunt enim qui substantialem plantarum lapidumque materiam quidem invenerunt et tentaverunt eam in dicionem legum suarum subigere. Sed lucem naturae illam tamen cognoscere et humiliter tactu eius erudiri non conati sunt.

*... iamque videnti*

*sanguineis frontem moris et tempora pingit.*

v. 21-22

«Iamque videnti» ad expergefactionem mineralem prima illa coniunctione generatam alludit. Alchymistae est sine dubio haec imago a poeta prolata: ludo enim pastoralis humana figura fictus, mercurius Philosophorum quidem in hoc loco describitur. Prima coniunctione generatus, viam humidam aperit illius «solve»<sup>3</sup>. Sed hic est habitus eius adhuc rudis, agrestis ut ita dicam. Paulatim autem clarificandus erit artis operatione, longa, lenta, delicata, «suaviter cum magno ingenio»<sup>4</sup>. Est illud quoque alchymistarum speculum in quo Sapientiae discipulus terrae caelorumque secretum contemplatur ac distinguit. Denique est *electrum* Paracelsianum sive Philosophiae primum ens. Cuius colorem Vergilius mororum suco bene descripsit. Similis est amethysto. Lapidus illius Graecum nomen (ἀ-μεθύω) significat: ebrium non esse, ad indicandam luciditatem supervenientem ei qui eum contemplatur. Viola vero silvestris illa primus

Saepe enim homines persequuntur Magnum Opus sicut Chimaeram antequam casu quodam felici quasi tangant digito. Etiam accidit ut Artis discipulus, etsi donum pretiosum illud habet, multis tamen deceptivis ante occurrat quam praefinitionem assequatur.

Eum iniciunt vincula ipsis ex sertis: difficilis enim labor est ad terram illam alligare naturam subtilem volatilemque.

Immo, nullo modo labor fieri potest sine Aegla intervenienti ut infra dicitur:



*Addit se sociam timidisque supervenit Aegle; Aegle, Naiadum pulcherrima...*

v. 20-21

Aegle ignis splendorem Graece significat. Nam pulcherrima est Naiadum magno innatantium oceano qui, ut Veterum Philosophia docet, insulam fluctuantem terrae nostrae undique circumfluit. Multi autem sunt alchymistae qui operari volunt attamen eheu! neglegunt niti in illa pulchra amoenaque Naiade comitanti, quae viam sapientiae illuminat. De hac re praecipua multiplices Philosophorum sententias proferre possumus. Tantum specimen unum ponamus:

*«Est Naturae lux quaedam propria quae in conspectum nostrum se non dat; nostris oculis est corpus umbra naturae. Qua de causa, qui illa*

omnium colorum est. Verno tempore florescit: «Sputum praedulce nigrarum Nympharum» aiebat Rimbaud<sup>5</sup>. Haud immerito ornabat olim amethystus pastorem annulum episcoporum quorum vestes eundem colorem habebant... et vero eis adhuc induuntur illi quando in Vaticana Civitate versantur.

*Ille dolum ridens: «Quo vincula nectitis?» inquit  
«Solvite me pueri; satis est potuisse videri.»*

v. 23-24

Ecce gaudium Sileni e somno expergiscentis. Nam terrae illi nullum gaudium est dum sola dormitansque permanet. Sed hoc loco sapientes Philosophiae pueri veniunt ad eam irrorandam illo effervescenti spiritu qui eam moveat ad germinationem. Est risus vernus. «Solvite me pueri» est invitatio ad humidam dissolutionis viam.

*Carmina quae vultis cognoscite; carmina vobis,  
huic aliud mercedis erit...*

v. 25-26

Silenium illum contemplari eloquens revelatio est. Nam per athanoris<sup>6</sup> vitrum, tempore illius mirificae coniunctionis de qua Poeta versu 22 locutus est, mirabundus Artis discipulus unicum vitae thesaurum contemplatur et contemplatio illa paulatim in spiritu et in corde eius explicabitur sicut magnificum poema Naturae illius illibatae quae ei se ostendit: «*Is cuius manus illam pretiosam materiam tetigerunt*», ut ait antiquus liber manu scriptus<sup>7</sup>, «*omnium scripturae mysteriorum intelligentiam facile accipiet*» et addam ego: *mysteriorum etiam inspiratae poesis sanctarumque fabularum.*

\*  
\* \*

Ecce ergo canticum Sileni, tam saepe deceptivi et inaccessi quaesitoribus optantibus, quem tamen Aegle, Naiadum pulcherrima, sola feliciter faciet eloquentem. «Huic aliud mercedis erit» alludit ad viam siccam coagulationis quae dissolutioni succedit.

Versus autem sequentes laeti sunt numerosique quasi cantuicula saltatoria. Nam hexametri Vergiliani numerus longis brevibusque pedibus et ictibus decenter se accommodat ad hilarem Faunorum ferarumque, sene canente, saltationem depingendam. Immo, silvarum quercus ipsae cacumina in numerum motabant. Versus enim Latini illi cani ac saltari solebant.

Secundum veterem traditionem Scholasticus

Servius dicit<sup>8</sup>, cum Cytheris cantrix prima vice id carmen in theatro Romano proferret, concessum magna admiratione motum esse.

... *Simul incipit ipse.*

*Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres  
ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.*

*Nec tantum Phoebos gaudet Parnasia rupes,  
nec tantum Rhodope miratur et Ismarus Orphea.*

v. 26-30

Ut expositionem meam concludam, tribus versibus sequentibus utar. Res idonea est. Nam Vergilius profecto alchemiae sigillo eos obsignavit:

*Namque canebat uti magnum per inane coacta  
semina terrarumque animaeque marisque fuissent  
et liquidi simul ignis...*

v. 31-33

Quisnam se ipsum Alchemiae discipulum profiteri potest nec vidit in lucido poculo illo terram ignemque fluentem aeris pluentis? Talium versuum auctor hoc loco suam qualitatem raram revelat.

\*  
\* \*

Vergilium alchymistam nostrum lectori satis me ostendisse puto. Non alius enim erat scopus huius lucubratiunculae quae modestior esse mihi videtur quam quae debuisset esse.

Reliquum autem Sileni carmen fabularis est cantus de metamorphosis sive *transformationibus* vel etiam de mysterio palingenesiae sive *nativitatis novae*.

Etsi aurum vulgare est revera mortuus sol, Ars poetica tamen sepulchra facit loquacia, immo canentia sicut hic.

Nemo potest, iam aiebat ante triginta annos amicus meus Cattiaux<sup>9</sup>, tenebris obsistere quae super mundum crassescunt. Sine dubio de stultorum crassitudine loquebatur. Nam oblivio nobis imminet et si non caverimus, posteri nostri nullam hereditatem habentes nullum futurum possidebunt.

Linguas classicas oblinendo, nos ipsi relinquimus; nullos iam maiores habentes, ne veram posteritatem, heredes dico, quidem iam possidebimus. Post aliquos annos nemo iam Vergilium leget, neque illum neque ullum extra libros nubeculatos. Sicut Aegyptus quae mundum tam gloriose illuminaverat, sic antiqua doctrina etiam oblivionis arenis operietur. Sic animam suam amittere solent populi.

Quomodo id possumus tolerabiliter ferre?

Tacebitne perpetuo in cordibus hominum ille qui maximus Poeta occidentis nostri fuit? Nihilominus pulcher erat ille, quasi deorum nuntius Olympiorum. Quaedam humanitas omnino cum eo evanesceret: sed quis id adhuc sentit? ☛

ADNOTATIONES

- 1 Cosmopolite ou Nouvelle Lumière chimique, Lutetiae apud Iohannem d'Houry, 1669, p. 61.
- 2 Id. p. 60.
- 3 Reipsa, sententia «solve et coagula» frequenter apud scriptores chemicos invenitur quorum nonnulli adfirmaverunt claves duas Sancti Petri dissolutionem atque coagulationem lapidis Philosophorum significare (annotat translator).
- 4 Refert ad celeberrimam Tabulam smaragdinam

Hermae Trismegisti: «Separabis subtile a spisso, suaviter etc.» (annotat translator).

- 5 Fr.: «crachat sucré des nymphes noires». Imago lepida est nec veritate eget.
- 6 Athanor, vox est Hebraica, THANUR, furnus, cui adiicitur articulus finitus HA. Vide lib. Genes. XV, 17 ubi de pacto igneo facto inter Abraham et IHVH tractatur.
- 7 Postea editus est bilinguiter (Francogallice et Hispanice): Concordance Mytho-Physico-Cabalo-Hermétique, Barcinonae, ed. Obelisco, 1986, p. 112 (annotat translator).
- 8 Vide: E. de Saint Denis in commentario editionis Bucolicorum (Les Belles Lettres, a. 1942).
- 9 op. cit. XXXI, 54.
- \* Erratum: in textu prioris partis, ubi versus Pauli Valery citantur, legendum fuit: «... le dieu dans la chair égaré».

**ACADEMIA SCIENTIARUM INTERNATIONALIS SANMARINENSIS**

studiorum sessionem suam annuam diebus 31.8.-7.9.1996 Arimini (Scuola Dante Alighieri, Via Coletti 102, I- 47037 Rimini) habebit.  
Pars sessionis, diebus 2.-6. 9. 1996

**SYMPOSIUM LATINUM**

erit et themati Lingua Latina - lingua internationalis heri et hodie dicabitur.

Themata similia novaque proponite, acroasim disceptationemque habete! Tributum sessionis 40 marcarum Germanicarum post acroasim habitam dimidia pro parte reaccipietis.

Inscriptiones informationesque: Vera Barandovská, Kleinenberger Weg 16, D-33100 Paderborn, tel. +49/5251-163522, telecop. +49/5251-163533; Janus di Censo, Via Quarenghi 40/28, I-20151 Milano, tel./telecop. +39/2-38007853

\*  
\* \*


**Lingua Latina - lingua Europae hodiernae?  
FASTI EUROPENSES 1997/98**

(Editor: EuropaKlub, societas intellectioni internationali fovendae), ostendit vobis 365 locutiones linguis neutralibus Europae modernae, Latina et esperantica, nec non 13 linguis officialibus Unionis Europaeae - cottidie unum verbum aut locutionem. In paginis aversis omnes civitates statales Unionis Europaeae (de historia, oeconomia, geographia, periegesi etc.) in linguis nationalibus et in lingua Latina ostenduntur, informationibus de Unione Europaea adiunctis.

Fautoribus Latinitatis Vivae, studentibus discipulisque Fasti Europenses subsidium didacticum Latinum fonsque informationis de unione Europaea hodierna erunt. Typis edere mense Iunio 1996 volumus.

Sumptus editionis a vobis pendet! Pretium (c. 10 marcarum Germanicarum) essentialiter deminui poterit, si multorum vestrum interfuerit, plura exempla Fastorum sibi classibusque discipulorum suorum in antecessum mandare apud: Dr. V. Barandovská-Frank, Kleinenberger Weg 16, D-33100 Paderborn, tel. +49/5251-163522, telecop. +49/5251-163533.





*Nubecula*

Nubes alba, mihi tam parvula pallida nubes,  
quid mihi dicere vis tam raptim ad sidera nando?  
Me quoque tam raptim transire? Sed hocce sciebam!  
Quid? Fortasse mihi caeli mysteria narras,  
quae, donec tellus fuero, mihi nosse nefas est.

*Josephus Tusiani Neo-Eboracensis*

*Investigatio*

Dic ubi celeris, veneranda Poesis: in undis  
profundis maris an super aeris haud remeanda  
limina blanda? Ubi te inveniam, tranquilla Poesis,  
quae inveniebas me dulci facilique die illa?

Inveniebas me medio in tepore diurno  
atque in nocturno stupefacto frigore stellae:  
nunc ego te quaero, sed nemo ubi sis mihi narrat,  
si in terra anne throno posito super ora procellae.

Fortasse erravi. Nil sum, nil es, nihil extat  
cuncti quem suavem nos credideramus amoris.  
Fortasse ultima spes nostro in dolore vocatur  
alma Poesis: quid sine te vita est nisi finis?

*Josephus Tusiani Neo-Eboracensis*

*Versus de ostreo*

In profundis ostreum  
iacebat fortunatum.

Forte voravit parvam  
maris arenae micam.

Illâ pungebatur acre  
sub umbilico, in ventre.

Tum collegit diligens  
scoriam se protegens.


Perfecit albam gazam,  
formosam margaritam.

Natat, venit urinator,  
mâlas vellit violator.

Obit ostreum intutum  
mortem miseram, afflictum.

Pauper gemmam vendidit,  
unde panem peperit.

*Leila Farin Granivicensis*



## MARIA CAPODELANIA\* ANIMOS COMMOVET

*In Melissa n. 69 iam nuntiavimus opus c.t. Maria Capodelania in Latinum nuper versum esse. De qua editione et Genovefa Immè translatrix et Marcus Lakebrink sententiam suam hic patefaciunt.*

### GENOVEFA IMMÈ GAIO LICOPPE S.P.D.

Tibi, quippe qui et amicus sincerus et homo sapiens moderatusque sis, aliqua serene et tranquille explanare volo de «Maria Capodelania», cum scias esse qui me accusent propter dialectales formas in hanc versionem insertas.

Consilium meum, ubi hunc librum feci, numquam fuit, ut didacticum librum ad discipulos linguam Ciceronianam docendos facerem: quod si voluissem, non «Maria Chapdelaine» convertissem, sed grammaticam Latinam scripsissem (post tot huiusgeneris opera iam edita!) vel Ciceronianas orationes edidissem (postquam totiens editae sunt!).

Sed consilium meum fuit hoc, ut versionem litterariam ad litterarum generalium et Latinae linguae amatores facerem. Qualis est versio litteraria, vel, quo simplicius dicam, versio bona? Haec est versio fidelis, qua non solum sensus verborum sed etiam auctoris modus (vel modi) scribendi diligenter serventur.

Aloisius Hémon in narratione sua duos scribendi modos inter se omnino discrepantes adhibet. Nam, cum ipse res describit vel narrat, emendate et «classice» scribit; sed cum personas agrestes suas facit ipsas loquentes, eis loquelam dialectalem et plebeiam tribuit. Hoc recte agit, quia lignarii agricolaeque Canadenses, tam ignari ut ipsi fateantur se ne legere quidem scire, non possunt ut rhetores doctoresque loqui. Mihi, ne infidelis essem erga auctorem, hi ambo scribendi modi erant servandi. Non vero arbitrio meo formas mendosas creavi, sed operam dedi, ut vestigia Plauti vel Petronii vel aliorum sequerer. Haec fuit magna difficultas, magnus labor, simul autem fuit magna voluptas difficultatis vincendae.

Exempli gratia auctor, ubi ipse nomine suo scribit, Francogallice dicit *écureuils*, sed personae eius dicunt *écureux*. Quod ut redderem, in narrationibus emendate dixi *sciuri*, sed in agriculturalium sermocinationibus dixi *sciri*, quae forma non ex inventione temeraria mea procedit, sed iam V saeculo apud Polemum Silvium legitur. En alterum exemplum: si verbum *croire* in auctoris narratione est, dico *credere*; sed si plebeiae personae dicunt *je crè*, scribo *creduo*, quia apud

Plautum haud semel invenias hanc verbi declinationem: *creduis*, *creduit* et in coniunctivo *creduam*. Tertiumne exemplum vis? Auctor, cum pro sua parte scribit, recte utitur adverbio *ici*; sed personae eius plebeiae dicunt *icitte*; quod ad reddendum ego scripsi *hic loci* vel *huc loci*. Nolim te defatigare, sed quartum exemplum tibi dare velim: auctor videlicet pro parte sua optime sciebat vocabulum *gages* esse masculinum, sed personas suas facit dicentes *de bonnes gages*, ut si nomen esset femininum; ego igitur, cum *merces* sit verbum femininum, adiectivum masculinum addidi: *mercedes bonos*. Talis generis mutationis auctorem et magistrum habebam Petronium, cuius Trimalchio dicit *unum lactem biberunt*, quasi *lac* non neutrum nomen esset, sed masculinum. Quintum et ultimum exemplum: reprehensa sum, quod *baccas*, quas Francogallice *myrtilles* appellamus, non *myrtillos* sed *cyanos* appellavi, et mihi dictum est neminem intellecturum. Canadenses autem has *baccas* *bleuets* dicunt. Itaque, cum prius in eorum colloquiis nomen appareret, dixi *cyanos* (et lectores secum quaerere possunt, quid sit, haud secus ac Francogalli ubi legunt *bleuets* et credunt esse flores); sed in posterioris capituli initio Aloisius Hémon explanat in Quebecensi regione *cyanos* nominari eos, quos Francogalli *myrtillos* nominant. Quae sententia, si censorem meum secuta essem, talis facta esset: «In Quebecensi regione *myrtilli* nominantur ei, quos Francogalli *myrtillos* nominant». Quod est absurdum!

Pro his vocabulis locutionibusve dialectalibus brevem indicem in fine edendum paraveram; quem Rainardus Brune maluit non edere, quia scilicet non didacticum librum ad discipulos, sed versionem ad litteratos destinata (ut sunt in aliis linguis vernaculis tot librorum versiones!) facere voluimus. Hac tamen praecautioe usi sumus, quod obliquis litteris hae inemendatae et populares formae inscriptae sunt, ut lector iam primo oculorum adspectu animadverteret verbum locutionemve haud «classicam» esse (quod numquam caverunt Plauti vel Petronii vel Apuleii editores!).

Ignosce mihi, quod prolixiore epistula te



fortasse defatigavi. Volui vero tibi haec explanare, ne forte maledicentibus confideres, sed ipse intelligeres et aliis dicere posses, me non temere egisse, sed versionem fidelem et litterariam diligenter fecisse. Scio enim te, quae est moderatio

tua, posse rem sine praeiudicio et sine furioso studio recognoscere et aliis fortasse manifestam facere. Nulli amico meliori sapientiorive hoc officium committere poteram. Per me tibi licet hanc meam epistulam ostendere, si hoc utile credas.

\*  
\* \*

**MARCUS LAKEBRINK MELISSAE LECTORIBUS S.P.D.**

Ex indicio in quinta decima pagina undeseptuagesimae Melissae publicato Aloisii Hémon librum qui inscribitur «Maria Capodelania» legi. Genovefae Immè translatrici maximas gratias, quippe quae nos donaverit scitissima versione Latina, quae nulli Latine scribenti magno adiumento esse non possit. Rainardo Brune editori item maximas gratias pro publicandi studio impensaue. Praeclaram cooperationem Francogermanicam! Pulchre!

Qua in fabula ficta liberi non solum vossitant parentes, sed etiam pietate pudoreque ducti patrem familias alloquuntur dicentes «eius pater», matrem «eius mater». Nimirum nulla libri persona est, quae ignoret casam calefieri oportere in prunas ardentis pellendis duobus tribusve caudicibus mane cupresseis, die abiegnis, vesperi betulleis. (p. 102-103) Illi homines locorum naturam sedesque quaesiverunt, quae nos moneant magis de Finlandia Sibiriaive quam de Francia: Canada terra ineunte saeculo nostro quam est fera pura beataque, nulla oecologice contaminata! Maria, fortis femina adulescens, amat nivalis vi tempestatis, quae non cooritur, eiusque fervidi animi motus in marathonem sacratissimi rosarii dicendi evadit, non incipit ab anhelio Veneris luctamine, ut in hac televisione hodierna. A rerum natura et hominum moribus eius narrationis hic mundus abest annos lucis<sup>1</sup>. Sunt multa decennia, cum «Maria Capodelania» in Germania legebatur a Francogallice discentibus. At nostra aetate sedecennes discipuli non pauci in eiusmodi libro legendo irriderent atque spurce interpellarent.

Textus Francogallicus, quem mutuandum mandavi, mihi in manus venit in scholastica anni 1941 editione, cui nazistae non obstiterant:

«Educationis administer nationalis hunc librum imprimendum permisit die 3 mensis 7 anni 1940 in actis publicis scientiae Germanicae.» Nazistae in «Maria Capodelania», eo praesertim tempore, nihil quod graviter ferrent invenerunt.

Quae colonorum agricolarumque narratio est conservativi generis, Aloisii Hémon anno 1914 in lucem prolatum opus magnum, in Francocanada paulo post heroum carmen nationale praedicatum. Anno 1917 igitur lacus quidam Canadensis vocatus est «Lac Hémon», alter «Lac Chapdelaine». Anno 1919 Periboncae, oppido Canadensi, monumentum Aloisii Hémon positum est.

Maria, mundi cordis frugique heroine, virum somnium nivibus interisse molliter fert et veri amoris ieiuna in solo patriae et in religione catholicorum analphabetarum secundo viro nubere meditatur. Maria, quae rica utitur («chape de laine») fortibusque nec non candidis animi affectibus movetur, comparari potest zonarum peditum nostrarum feminis quae immigraverunt, virgini cuidam Turcicae materculaeve Russicae.

In extremo libro Maria, arcanis vocibus auditis, altera virgo Aurelianensis, contra Anglophonas urbes Americanas Francocanadensium linguae cultui vitaeque durae in terrae habitabilis fine agenda dat optionem. Tam miras vias profecto eunt res humanae, ut exeunte anno 1995 librum non legam, quin animus permoveatur pulsu miti mollique, quod video Mariam Quebecensium libertati suffragium ferentem et populisciti vespere decepta spe lacrimantem ira.

<sup>1</sup> i.e. distantia, quam intra unum annum emittitur lucis radius, qui trecenta milia chiliometrorum singulis secundis transit; cfr Melissam n. 64, ubi p. 5 proponitur neologismus «luminannus».



\* Aloisii Hémon *Maria Capodelania*, narratio Canadica in Latinum versa a Genovefa IMME, ed. Domus editoria Rainardi Brune Leichlingen, 1995. Postfach 1146 - D-40736 Langenfeld.



# LATINE LOQUI ...

## SEMINARIA SOCIETATIS LATINAE

### **Helencinii (Hélécine) in Belgica a die 12 in diem 19 mensis Augusti a. 1996**

Seminarium Belgicum fiet in pulcherrimo aedificio quod olim fuit abbatia Praemonstratensium, XVIII saeculo exstructo, quod etiam habet viridarium amoenissimum.

Scribatis ad: Gaium Licoppe  
Avenue de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles

### **Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 28 mensis Iulii in diem 3 mensis Augusti a. 1996**

supra lacum «Quattuor regionum»

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM  
Universität - FR 6.3  
D-66041 Saarbrücken

In seminariis Latinis, a Societate Latina Saravipontana institutis, participes inducuntur ut Latine loquantur. Moderator peritissimus est Dr P.C. Eichenseer, qui talia semina ab anno 1973 solet suscipere; D.rix S. Albert tirones delectabiliter adducit ad Latine loquendum.

## SEMINARIUM BRUNENSE ALTERUM

### **Brunae (v. Brno) in republica Bohemica a die 15 in diem 22 mensis Iulii a. 1996**

Apparatum ab associatione L.V.P.A. una cum Instituto Studiorum Classicorum Universitatis Brunensis. Argumentum praecipuum erit: «redivivae aetates Latinae»: Latinitas viva quem fructum capere possit ex Latinitate, quae aetate litterarum renascentium culta est.

Scribatis ad: Ingam Pessarra-Grimm sive ad: Marium Alexa  
Nordstrasse, 39 Burgstrasse, 3  
D-59174 Kamen D-59368 Werne

## SEPTIMANA LATINA AMOENEBURGENSIS

### **Amoeneburgi (apud Marburgum) in Germania a die 11 in diem 17 mensis Augusti a. 1996**

«Latine loqui - Romane coquere»

Scribatis ad: Thomam Götzhäuser  
Kleeberger Strasse, 40  
D-35510 Butzbach

## FERIAE LATINAE

### **Nicaeae (Nice) in Francogallia a die 18 in diem 25 mensis Augusti a. 1996**

Scribatis ad: Clementem Desessard  
Résidence des Collines, C9  
500, rue Léo Brun  
F-06210 Mandelieu

### **Tiniis (Tainach) in Carinthia a die 13 in diem 20 mensis Iulii a. 1996**

Scribatis ad: Felicem W. Kucher  
Kath. Bildungsheim SODALITAS  
A-9121 Tainach/Tinje

Feriae Latinae sunt a Dre Suitberto Siedl institutae. Moderatores eas fieri volunt «Tusculum quoddam ubi cum Cicerone, Cassiacum ubi cum Augustino, Cenaculum ubi cum Hieronymo...»